

# MISSALE

## S. ORDINIS PRAEDICATORUM

Romae MCMXXXIII

## ORDO MISSAE

*Fuentes Litúrgicas*

**S. E. L. M.**

**Centro de Estudios Filosóficos Medievales**

Universidad Nacional de Cuyo

Mendoza

2004



# ORDO MISSAE

Sacerdos, quando celebraturus accesserit ad medium altaris, facta profunda inclinatione, stans muniat se signo Crucis, dicens clara et intelligibili voce:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde eadem voce:

V/. Confitemini Domino quoniam bonus.

Ministri R/. Quoniam in saeculum misericordia ejus.

Postea inclinatus profunde, dicat:

Confiteor Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ semper Virgine, et beato Dominico Patri nostro, et omnibus Sanctis, et vobis Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione, mea culpa: precor vos orare pro me.

Ministri R/. Misereatur tui, etc.

Deinde Confessionem repetant, et ubi Sacerdos dicebat vobis Fratres, et vos; dicant ipsi tibi Pater, et te.

Quibus dictis, Sacerdos dicat:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo, salvet,

et confirmet in omni opere bono, et perducatur ad vitam aeternam.

M. R/. Amen.

Absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.

M. R/. Amen.

Confessione facta, et absolutione, se erigat Sacerdos, et dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. R/. Qui fecit caelum et terram.

Et appropians ad altare, rursus profunde inclinatus dicat Orationem:

Aufer a nobis, Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hac Oratione dicta, osculetur altare, signando illud prius in medio pollice dextero: et erectus muniat se signo Crucis, et accendens ad librum junctis manibus ante pectus, incipiat Missæ Officium, seu Introitum; quo finito, dicat alternatim cum ministris:

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Christe eleison. Christe eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Postea ad medium altaris pergens, dicat (si dicendum est) Gloria.

Gloria in excelsis Deo. **Inclin. caput.** Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. **Inclin. caput.** Adoramus te. Glorificamus te. **Inclin. caput.** Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, **Inclin. caput.** Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, **Inclin. caput.** suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, **Inclin. caput.** Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Deinde, dictis Oratione, Epistola, et Responsorio cum Alleluia, vel Tractu, accedat, inclinans caput in medio altaris, ad cornu Evangelii, dicens: Dominus sit in corde meo, et in labiis meis ad pronuntiandum sanctum Evangelium pacis, et stans ante librum, junctis manibus super illum, dicat Dominus vobiscum. Et ministri. R/. Et cum spiritu tuo. Et pronuntians: Sequentia sive Initium sancti Evangelii, etc. signet pollice dexteræ manus Evangelium, et se-

ipsum in fronte, ore, et pectore; deinde majori signo Crucis, manu dextera, se totum muniat a fronte ad pectus et humeros. Ministri autem respondeant Gloria tibi Domine. Postea prosequatur Evangelium junctis manibus ut prius. Illo finito, majori signo Crucis se iterum signet; et mox Evangelium pollice signo crucis signans, illud exosculando dicat: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta. Deinde ad medium altaris, extendens, elevans, et jungens manus, dicat (si dicendum sit) Credo in unum Deum, et pergens ad librum, junctis manibus prosequatur. Cum dicit Deum, caput Cruci inclinet, et idem faciat dum dicit Jesum Christum, et simil adoratur. In fine ad Et vitam venturi saeculi, signet se signo Crucis a fronte ad pectus et humeros.

Credo in unum Deum **Inclin. caput.** Patrem omnipotentem: factorem caeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum **Inclin. caput.** Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum; consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de caelis: **Hic utrumque genuflectitur:** ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas: Et ascendit in

caelum: sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit: Qui cum Patre et Filio simul **Hic inclin. caput.** ADORATUR ET CONGLORIFICATUR: qui locutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi: Amen.

**Deinde versus ad populum dicat:** Dominus vobiscum. **Ministri R/.** Et cum spiritu tuo.

**Postea dicat Oremus, et Offertorium.**

**Quo dicto, elevando, et conjugendo manus dicat:** Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? **et calicem cum hostia, patenae superposita, accipiens ambabus manibus super corporale ante pectus elevans, dicat:** Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. **Deinde offerens, dicat:**

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi: et praesta, ut in conspectu tuo tibi placens ascendat; et meam, et omnium fidelium salutem operetur aeternam.

**His dictis, calicem super corporale deponens, patenam e calice levet, et hostiam ante illius pedem deponat, ac palla calicem cooperiat. Deinde**

**accedens ad cornu Epistolae pro digitorum ablutione, dicat:**

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. **Et non plus ultra.**

**Post ablutionem digitorum, Sacerdos junctis manibus ante pectus, ad medium altaris veniens, inclinet profunde, dicendo:**

In spiritu humilitatis, et in animo contrito, suscipiamur Domine a te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, et placeat tibi Domine Deus.

**His dictis, se erigens, et ad populum se convertens, extendens, et jungens manus, dicat voce mediocri Orate fratres, solum haec duo verba, alia secreto prosequens.**

Orate fratres, ut meum, ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.

**Junctis manibus subjungat:** Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat, **et Oremus.**

**Deinde extensis dicat Orationem, vel Orationes secretas; quibus finitis, cum pervenerit ad conclusionem, clara et intelligibili voce dicat Per omnia saecula saeculorum, cum Praefatione propria Missae, sicut in sequentibus.**

## IN NATIVITATE DOMINI

Sequens Praefatio dicatur in Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Missis de Sanctis; item in omnibus Missis de beata Maria Virgine, a Nativitate Domini usque ad Purificationem, et in ipso festo Purificationis; item in festo Corporis Christi, et per Octavam, nisi occurrat festum habens propriam Praefationem; item in omnibus Missis SS. Corde extra Septuagesimam et tempus Paschale, et per ejus Octavam, nisi occurrat festum habens propriam Praefationem; necnon in omnibus Missis de SS. Sacramento et de SS. Nominis Jesu.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia per incarnati verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

## Infra Canonem

Communicantes, et diem sacratissimum (vel noctem sacratissimam celebrantes, qua) celebrantes, quo beatæ Mariae intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem: Sed et memoriam venerantes, in primis ejusdem gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Thaddaei; Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicatur hoc quotidie, etiam in Missis Sanctorum, usque ad Octavam Nativitatis Domini inclusive tantum; in prima tamen Missa Nativitatis dicitur noctem sacratissimam celebrantes, qua.

## IN EPIPHANIA

Sequens Praefatio dicatur in die Epiphania Domini, et per totam Octavam etiam in Missis Sanctorum, et in festo S. Familiae.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostrae mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis suae luce reparavit. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae tuae canimus sine fine dicentes: Sanctus, etc.

### Infra Canonem

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coaeternus, in veritate carnis nostrae visibiliter corporalis apparuit: Sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Thaddaei; Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicatur etiam per totam Octavam.

## IN QUADRAGESIMA

Sequens Praefatio dicatur in capite Jejunii, et deinceps usque ad Dominicam Passionis exclusive, etiam in festis Sanctorum infra dictum tempus occurrentibus, nisi propria habuerint.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates; caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus etc.

## DE PASSIONE ET CRUCE DOMINI

Sequens Praefatio dicatur a Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cena Domini inclusive, etiam in festis Sanctorum infra id tempus occurrentibus, nisi propriam habuerint; item in festo Pretiosissimi San-

guinis, in utroque festo S. Crucis, et in Missis votivis de Cruce, de Passione, de SS. Cordis Jesu a Septuagesima ad Vigilam Pentecostes.

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur; per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates; caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes: Sanctus, etc.

## IN PASCHA

Sequens Praefatio dicatur a Vigilia Paschae usque ad Ascensionem, et in festis eo tempore occurrentibus, nisi eis propriam assignetur.

In Missa Sabbati sancti dicitur in hac potissimum nocte in die Paschae usque ad Dominicam in Albis inclusive

in hoc potissimum die die, et deinceps in hoc potissimum.

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, te quidem Domine omni tempore, sed in hoc potissimum die (vel in hoc potissimum) gloriosus praedicare, cum Pascha nostra immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi; qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

## Infra Canonem

Communicantes, et (noctem sacratissimam) sic dicitur in Sabbato sancto tantum; in aliis vero, diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem: Sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Tha-

ddaei; Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

**Ita dicatur a die Paschae usque ad Dominicam in Albis inclusive tantum. Sed in Missa Sabbati sancti dicatur** Et noctem sacratissimam celebrantes.

## IN ASCENSIONE

**Sequens Praefatio dicatur in die Ascensionis, per Octavam et Feria VI post Oct. in omnibus Missis, etiam in festis Sanctorum occurrentibus, nisi propriam habuerint.**

**V/. Per omnia saecula saeculorum**

**R./ Dominus vobiscum.**

**V/. Et cum spiritu tuo.**

**R./ Sursum corda.**

**V/. Habemus ad Dominum.**

**R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.**

**V/. Dignum et justum est.**

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, aeternae Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in caelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

## Infra Canonem

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster, unigenitus Filius tuus, unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae dextera collocavit: Sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaee, Simonis, et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

**Dicatur per totam Octavam etiam in festo S. Crucis, et aliis quibus-**

**cumque Missis: exceptis Missis Defunctorum.**

## **IN PENTECOSTE**

**Sequens Praefatio dicatur in Vigilia et in die Pentecostes, ac quotidie per Hebdomadam, usque ad Sabbatum inclusive; item in Missis votivis de Spiritu Sancto, omisso tamen hodierna die.**

**V./** Per omnia saecula saeculorum

**R./** Dominus vobiscum.

**V./** Et cum spiritu tuo.

**R./** Sursum corda.

**V./** Habemus ad Dominum.

**R./** Gratias agamus Domino Deo nostro.

**V./** Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes caelos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum Sanctum (hodierna die) in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat; sed et supernae virtutes, atque angelicae potestates hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

### **Infra Canonem**

Communicantes, et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis in igneis linguis apparuit: Sed et memoriam venerantes, in primis glorio-

sae semper Virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: Sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Thaddaei; Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

**Dicatur semper usque ad sequens Sabbatum inclusive tantum.**

## **DE SS. TRINITATE**

**Sequens Praefatio dicatur in festo SS. Trinitatis, et per Octavam usque ad quintam Feriam exclusive, etiam in festis Sanctorum, (nisi propriam habuerint) item in Missis votivis ejusdem; item in festo Transfigurationis Domini; nec non in omnibus Dominicis per annum, nisi alia particularis occurrerit.**

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo, et Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas. Quam laudant angeli, atque archangeli, cherubim quoque, ac seraphim, qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes: Sanctus, etc.

### DE BEATA VIRGINE MARIA

Sequens Praefatio dicatur in festis B. Mariae Virg. (praeterquam in festo Purificationis) et per eorum Octavas, etiam in festis Sanctorum infra eas occurrentibus, nisi propriam habuerint; item in Missis votivis de B. Maria, praeterquam a Nativitate Domini ad Purificationem, excepta Missa privilegiata de Ss. Rosarii. Dicatur autem secundum denominationem festi Et te in Conceptione

immaculata, vel Compassione, vel Annuntiatione, vel Visitatione, vel Assumptione, vel Nativitate, vel Praesentatione, vel reliquis festivitibus B. Mariae Virg., Solemnitate, vel in Vigiliis Immac. Conceptionis atque Assumptionis et in Missis votivis, Veneratione,

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Et te in \*\*\*\* beatae Mariae semper virginis exsultantibus animis laudare, benedicere, et praedicare. Quae et Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente, mundo lumen aeternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates; caeli, caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes: Sanctus, etc.

### DE S. IOSEPH SPONSO B. MARIAE VIRGINIS

Sequens Praefatio dicatur in omnibus Missis de S. Joseph, et per ejus

Octavam solemnem, etiam in Missis Sanctorum nisi propriam habuerint. In Missis votivis dicitur: Et te in veneratióne.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Et te in festivitate beati Joseph debitis magnificare praeconiis, benedicere et praedicare. Qui et vir justus, a te Deiparae virgini sponsus est datus, et fidelis servus ac prudens, super familiam tuam est constitutus, ut Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione conceptum, paterna vice custodiret, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates; caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, etc.

### DE APOSTOLIS

Sequens Praefatio dicatur in festis Apostolorum et Evangelistarum (excepto die festo S. Joannis Ap.) et per Octavas eorum, et in festis Sanctorum infra eas occurrentibus, si

propriam non habuerint; item in Missis votivis de Apostolis.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor aeterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias; ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationes; cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

### DE S. P. N. DOMINICO

Sequens Praefatio dicitur in omnibus Missis de S. P. N. Dominico, et infra ejus Octavam solemnem, etiam in festis Sanctorum, nisi propriam habuerint; et in festo Omnium Sanctorum Ord. Praed.

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui in tuae sanctae Ecclesiae decorem ac tutamen apostolicam vivendi formam per beatissimum patriarcham Dominicum, renovare voluisti. Ipse enim, genitricis Filii tui semper ope suffultus, praedicatione sua compescuit haereses, fidei pugiles gentium in salutem instituit, et innumeras animas Christo lucrificavit. Sapientiam ejus narrant populi, ejusque laudes nuntiat ecclesia. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus sine fine dicentes: Sanctus, etc.

### DE S. P. N. FRANCISCO

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui venerandum Confessorem famulum tuum beatum Franciscum, tua, Deus, altissima bonitate et clementia, Sanctorum tuorum meritis et virtutibus sublimasti. Mentemque ipsius, Sancti Spiritus operatione, amor ille Seraphicus ardentissime incendit

interius; cujusque corpus sacris stigmatibus insignivit exterius, signo Crucifixi Jesu Christi Domini nostri. Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates; caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, etc.

### PRAEFATIO COMMUNIS

Sequens Praefatio dicatur per annum in omnibus Festis et Feriis, quae propriam non habent.

V/. Per omnia saecula saeculorum  
R./ Dominus vobiscum.  
V/. Et cum spiritu tuo.  
R./ Sursum corda.  
V/. Habemus ad Dominum.  
R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.  
V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates; caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

### PRAEFATIO DEFUNCTORUM

V/. Per omnia saecula saeculorum

R./ Dominus vobiscum.

V/. Et cum spiritu tuo.

R./ Sursum corda.

V/. Habemus ad Dominum.

R./ Gratias agamus Domino Deo nostro.

V/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, per Christum Dominum nostrum. In quo nobis spes beatæ resurrectionis effulsit, ut quos contristat certa moriendi conditio, eosdem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur; et dissoluta terrestris hujus incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria tua: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

# CANON

## SACROSANCTI INCRUENTI SACRIFICII MISSAE

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas haec ✠ dona, haec ✠ munera, haec ✠ sancta sacrificia illibata: in primis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica; quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum: una cum Papa nostro **N.**, et antistite nostro **N.**, et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum **N.** et **N.**, et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus; pro redemptionem animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum apostolorum ac martyrum

tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas; atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Cor ✠ pus, et San ✠ guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui, pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles ma-

nus suas; et elevatis oculis suis in caelum ad te, Deum Patrem suum omnipotentem, ibi gratias agens, bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens, accipite, et manducate ex hoc omnes:

### **Hoc est enim Corpus meum.**

Simili modo, postquam cenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene ✠ dixit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, et bibite ex eo omnes:

### **Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.**

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosæ ascensionis, offerimus praeclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam ✠ puram, hostiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immaculatam, panem ✠ sanctæ vitæ aeternæ, et calicem ✠ salutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri justî Abel, et sacri-

ficiûm patriarchæ nostrî Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ; ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosancti Filii tui cor ✠ pus, et san ✠ guinem sumpserimus, omni bene ✠ dictione caelesti, et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, **N.** et **N.** Ipsis, Domine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus: famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis apostolis et martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Agnete, Caecilia, et omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniæ, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, et præstas nobis.

Per ✠ ipsum, et cum ✠ ipso, et in ✠ ipso est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti in unitate Spiritus ✠ Sancti, omnis honor et gloria:

P. Per omnia saecula saeculorum.  
S. Amen.

Oremus

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne inducas in tentationem.

Sed libera nos a malo.

Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus sanctis, propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Per omnia saecula saeculorum.  
Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum.  
Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

**In Missis defunctorum, loco miserere nobis, dicitur dona eis requiem, et in tertio additur: sempiternam.**

Haec sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi, et omnibus sumentibus, salus mentis et corporis; et ad vitam aeternam promerendam atque capessendam praeparatio salutaris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis; et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas: Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus; ut de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat nobis remedium sempiternum. Amen.

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meae; et praesta ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile, mihi que, et omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ite missa est  
Deo gratias.

**Vel**

Benedicamus Domino.  
Deo gratias.

Requiescant in pace.  
Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.  
S. Amen.

*Et legit Evangelium secundum Iohannem*